



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

39. Feria 5. De desiderio mutandi statum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

## MEDITATIO XXXIX.

Feria 5. Dom. 4. Epiph.

*De desiderio mutandi statum.*

**A**spiciam quintum scopulum naufragantium, eorum, qui desiderant mutare statum: *Hi sunt (qui segregant semetipsos) amales spiritum non habentes, Iudæ 1. Petam intelligere has syrtes, & evitare.*

*Conf. 1. Quam magnum hoc Sathanæ telū, quomodo prætextu majoris perfectionis, aut aliquarum commoditatum imaginariarum inquietet perfectionis amantem: Et quomodo ei occurrendum sit per Spiritum S. in Apostolo loquentem: 1. ad Cor. 7. v. 20. Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat: &: Locum tuum ne dimiseris. Eccl. 10. Periculosa arboribus transplantatio. Varias artes discere, in nulla proficere est: paucissimi inveniuntur, quibus ejusmodi mutatio profuit: Sapientis est tutiora sequi.*

*Conf. 2. Cogitationem de mutando statu esse à dæmone, qui postquam à loco securiore vitæ & salutis abstraxit, tentat in manifestis peccatis, & cum auxilijs, quæ prius habebant, destituantur, consentiunt in ea, & pereunt. Igitur præterquam quod magna sit nota inconstantiae, & proprii amoris, sicut & infantiae, debilitatis cerebri, & stoliditatis*  
ingo

*Feria 5. Dom. 4. Epiph. 67*

ingenij, mutare statum melioris vitæ, simul est signum perditionis: quid enim boni sperem, & quid mali non timeam ab hujus cogitationis auctore spiritu maligno?

*Conf. 3.* Decem fluctus quasi decumanos, unde non cauti ad naufragium præcipitantur. 1. vitiata resolutio prima, fundata in affectu minus recto quærendi se: unde rationibus proprijs, & humanis se committit, aspera cautè subterfugit, placentia dexterrimè sectatur, in creaturis, bonis socijs, locis, officijs, genio arridentibus, per patronos adulatione procuratis acquiescit: cum perfectionis studiosi sit, deserere se, & Deum quærere. 2. pravæ consuetudines nondam plenæ devotæ. 3. affectus erga alios inordinatus nondum plenè superatus. 4. infirmitas fidei circa promissa fervientibus DEO. 5. Occupatio in rebus se majoribus dijudicandis. 6. tardè ac tepidè in via perfectionis procedere. 7. Separare se à meliorum consortio. 8. Intemperanter aspirare ad aliquid, non relinquendo se dispositioni DEI. 9. neglectus, & odium disciplinæ. 10. Neglectus orationis mentalis, aliorumque exercitiorum pietatis.

MEDITATIO XL.

*Feria 6. Dom. 4. Epiph.*

*De blasphemis cogitationibus, & scrupulis. Aspi-*